

No. 390. Um 1222.

Landgraf Ludwig von Thüringen eignet als Vormund seines Neffen des Markgr. Heinrich dem Kloster zum h. Kreuz das Dorf Daubnitz.

In nomine sanctae et individuae trinitatis L. dei gratia Thuring.¹⁾ Saxoniae comes palatinus omnibus fidelibus Cristi salutem. Quia breues dies hominis sunt et de his quae geruntur absque documentis autenticis plena plerumque apud posteros haberi notitia non potest, ideo frequenter ea quae vel nos ipsi facimus vel ab aliis facta nostra auctoritate firmamus, scriptis autenticis ad posteritatis notitiam transmittimus cognoscenda. Hinc est quod universitati vestrae cupimus esse notum, quod nos karissimae sororis nostrae marchionissae Misnensis et dilecti cognati nostri H. marchionis filii eius, cuius tutelam gerimus cognita voluntate, ad instantiam Gotsalci Khesebiz militis Misnensis urbani et Ceciliae uxoris ipsius villam Doveniz¹⁾, quam idem G. de manu dicti cognati nostri feudali diu iure possessam resignavit in manu nostra, viro venerabili W. praeposito ecclesiae sanctae Crucis in Misne recipienti procuratorio nomine pro se et sororibus suis in Cristo deo ibidem iugiter famulantibus cum terris aratoriis, curtibus et colonis, viis et inviis, silvis et pascuis et omnibus aliis pertinentiis suis in ius et proprietatem contulimus sempiternam dictorum praepositi et sororum et ipsis succedentium utilitatibus perpetuo servituram. Ne igitur ulli hominum aliquando liceat dictae villae possessiones manu temeritatis attingere, pacem ipsi perpetuam firmamus banno nostro, et hanc cartam sigilli nostri impressione signatam memoratis praeposito et sororum collegio ad perpetuum iuris sui porreximus munimentum. Testes autem sunt hi: Meinherus bvrchgr. de Misna, Albertus bvrchgr. de Aldenburch, Albertus bvrchgr. de Dewin, Wolfwinus bvrchgr. de Valkenh., Wolfer de Pesne frater eius, Henricus bvrchgr. de Donin, Otto filius eius, Hermannus de Schoneburch, Henricus de Kholditz, Sifridus de Mogelin, Otto de Ilburch, Bodo frater eius.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem zerbrochenen Reitersiegel des Landgrafen an rothseidenen Fäden.

1) fehlt im Orig. lantgravius. a) Daubnitz, Par. Lommatzsch.

No. 391. (1221—22.)

B. Bruno II. beurkundet die Stiftung des Nonnenklosters zum h. Kreuz durch Markgr. Dietrich und dessen Verlegung nach einer geeigneteren Stelle.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Brvno II. dei gracia Misnensis ecclesiae episcopus. Quoniam is, cuius potestas nec incipit nec desinit, rerum ac temporum seriem per sui providentiam ordinat et disponit, ut solus ipse sanctus et in sanctis mirabilis praedicetur, soli eius iudicio ascribimus et addicimus voluntati,